



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio VIII. De Gratiâ Christi, vt est Caput Ecclesiæ. In octo Articulos
diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ARTICVLVS XIII.

Quomodo gratia Christi Habitua-
lis se habeat ad vnionem?

38 **R**espondetur; Vnio hypostatica fuit naturâ prior, quàm gratia habitualis, tamquam eius quodammodo causa. Probatur tribus rationibus, quas vide apud D. Thomam.

*Halensis putat Gratiam habitua-
lem fuisse in-
star neces-
sariae dis-
positionis ad vnio-
nem.*

*D. Thomas
instar dis-
positionis
conuenien-
tis.*

39 *Refellitur
Halens.*

Nota, Alexandrum Halensem existimare gratiam habitua-lem, se habuisse ad vnionem hypostaticam per modum medij, seu necessariæ dispositionis: sicut dispositiones materiæ necessariæ sunt ad eius vnionem cum forma. Ita docet 3. parte suæ summæ quæst. 7. memb. 2. art. 1. & quæst. 11. memb. 1. art. 1. Alij dicunt non fuisse quidem hanc gratiam absolute necessariam, vt Anima illa hypostaticè vniretur, fuisse tamen conuenientem dispositionem: & ideò re ipsa prius naturâ animam illam fuisse dispositam per gratiam, quàm hypostaticè vnitam. Ita tenuit D. Thomas in 3. Sent. dist. 2. quæst. 2. art. 2. & Bonauentura ibidem art. 3. qu. 2.

Sed Dico Primò, Gratiam non habere se vt necessariam dispositionem ad vnionem hypostaticam. Est communis sententia Doctorum contra Alexandrum. Probatur Primò, Quia Verbum vnitur carni, & tamen caro non est capax dispositionis per gratiam. Secundò, Quia subsistentia Verbi debet immediatè vniri essentiæ animæ: ergo ipsa essentia est capax vnionis secundum se ante omne accidens. Confirmatur; quia naturalis subsistentia non requirit vllas dispositiones, cum omni dispositione sit penitus: ergo neque subsistentia diuina, quæ æquè intimè debet vniri. Tertiò, Quia nulla qualitas creata potest excludere propriam subsistentiam à suo subiecto: ergo neque illud reddere capax subsistentiæ alienæ, maxime Verbi diuini; cuius subsistentia in infinitum excedit omnem talem dispositionem.

Dico Secundò, Gratia etiam non se habet ad vnionem vt dispositio conueniens naturâ prior;

sed potius vt posterior, tamquàm consequens ipsam vnionem. Ita D. Thomas hoc loco, & suprâ q. 6. art. 6. & Scotus dist. 2. qu. 2. in 3. Durandus ibidem quæst. 3.

Probatur Primò, Quia prius naturâ quæque res subsistit, quàm ornetur accidentibus: nam subsistentia est intimum complementum substantiale rei: ergo illa anima prius naturâ erat vnita subsistentiæ diuinæ, quàm ornaretur gratiâ. Patet Consequentia, Quia in eodem signo naturæ vnita est subsistentiæ diuinæ, quo suam accepisset, nisi fuisset impedita. Secundò, Vnio hypostatica est ad subsistendum; gratia autem datur ad operandum: atqui prius est subsistere, quàm operari: ergo. Tertiò, Missio Filij est prior origine, quàm missio Spiritus sancti: atqui missio Filij fit per vnionem hypostaticam; missio Spiritus sancti per infusionem gratiæ: ergo vnio hypostatica est prior infusione gratiæ. Quartò, Præsentia Solis antecedit naturâ illuminationem aëris. Ergo similiter substantialis præsentia Verbi, debuit antecedere diffusionem gratiæ in naturam humanam. Quintò, Scripturæ plenitudinem gratiæ referunt in illam vnionem, tamquam in causam. Isaie 11. vers. 1. & 2. *Flos de radice eius ascendet, & requset super eum Spiritus Domini.* Vbi prius est flos ascendere, id est, incarnari Christum ex Virgine, teste D. Hieronymo, quàm Spiritu sancto repleri. Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Vbi indicatur illum fuisse plenum gratiæ, quia erat vnigenitus.

*Explicitio
D. Thomæ
de dispositio-
ne Con-
sequente,
non autem
Antece-
dente.*

A simili.

*Vnio est
causa ple-
nitudinis
gratiæ.*

Aduerte tamen, Gratiam posse dici dispositio- nem ad vnionem hypostaticam, non quidem antecedentem & præparantem vt fit; sed consequentem & ornantem vt optimè se habeat. Sicut sanitas & pulchritudo est dispositio corporis hu- mani ad coniunctionem cum animâ, non quidem præparans vt fit illa coniunctio; sed ornans vt bene se habeat, & permaneat. Et ita intellige, quod dicit D. Thomas suprâ art. 10. in Corpore, & ad 2. *Gratiam habitua-lem ordinari ad vnionem hypostaticam tamquam ad finem.* Argumenta quæ cõtra possunt obijci; facillè ex suprâ dictis dissoluentur.

*Gratia est
dispositio
consequens
& ornans.
Vt vnio
hypostatica
optimè se
habeat.*

Q V Æ S T I O O C T A V A.

De Gratia Christi, vt est Caput Ecclesiæ.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Virum Christus sit Caput
Ecclesiæ?

1 *R. ad dici-
tur Caput
Ecclesiæ.*

Respondetur affirmatiuè. Vide D. Thomam. Notandum est; Christum secundum strictam Metaphoram, dici Caput Ecclesiæ ex hominibus constare: quia sicuti à capite in membra per spiritum animale omnem sensus & motus infunditur; ita à Christo omnino cognitio supernaturalis, omni- que motus vitæ supernaturalis, in omnes omnium tempo-

rum homines post peccatum originale immittitur. Omnis enim vita & motus supernaturalis est ex Christi meritis. Vnde totum genus humanum concipiendum est instar vnus hominis, cuius caput est Christus secundum naturam humanam: singuli autem veluti membra vel actû vel potestate sub hoc capite; quæ per spiritum, ab hoc capite diffusum, vitam, sensum, & motum vitalem gratiæ accipiunt. Hinc fit vt dicantur membra Christi, & tota Ecclesiæ corpus Christi. Ad Ephef. 1. v. 22. *Ipsam dedit caput super omnem Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Ad Coloss. 1. v. 18. *Ipsè est caput corporis Ecclesiæ.* & alibi. Vbi Aduerte, Christum esse instar capitis, quod ita est efficax, vt aliena

*Homines
sunt mem-
bra Christi.*

ut aliena membra possit sibi vnire, suamque vitam & spiritum impertiri, & suum corpus efficere: quâ similitudine libentissimè vtitur Apostolus.

2
Christus non est membrum Ecclesia.
Dices; Si Christus est caput: ergo etiam est membrum Ecclesie. Respondeo; Quidam admittunt; & sic intelligit D. Thomas illud 1. ad Corinth. 12. v. 27. Vos estis Corpus Christi, & membra de membro. Sed melius negatur sequela: quia membrum ex sua ratione postulat, ut aliquid accipiat ab alijs membris; quod est cuiusdam imperfectionis, quæ non conuenit Christo, qui nihil à suis membris accipit. Hæc autem imperfectio non includitur in ratione capitis. Nec est absurdum, nomen speciei dici de aliquo metaphoricè, cui non conuenit nomen generis; quia fieri potest, ut nomen generis imperfectionem insinuet, quæ non ita designatur nomine speciei. Quò fit vt Christus dicatur Leo, non tamen bestia, vel brutum. Locus autem ille 1. ad Corinth. 12. Vos estis membra de membro, sic intelligi debet: Vos estis membra ab alijs membris dependentia: Nam populus ab Episcopis, Episcopi ab Apostolis, Apostoli à Christo pendent: iuxta illud ad Ephes. 4. v. 16. Ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam submissionis &c.

3
Spiritus sanctus est Cor Ecclesia.
Obijcitur Secundò: Cor etiam habet vniuersalem influxum in omnia membra, etiam in ipsum caput: ergo Christus debet dici Cor Ecclesie potius quàm caput. Respondeo, Etsi etiam cor dici possit, non tamen potius quàm caput: tum, quia caput ex vfu linguarum, significat principem cuiusvis congregationis: tum, quia influxus capitis in membra, est nobilior, quàm influxus cordis: tum denique, quia caput habet manifestam eminentiam, influxum, & directionem reliquorum membrorum, cor autè occultam. Quam ob causam metaphora cordis, potius applicatur Spiritui sancto, qui Ecclesiam inuisibiliter viuificat, & regit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus sit Caput hominum tantummodò quoad animas, An etiam secundum corpora?

4
Christi Corpus est etiam Caput hominum.
Respondeatur, Etiam secundum corpora est caput illorum. Ratio est, quia vita spiritalis, quæ à Christo tamquàm à capite in homines diffunditur, non sistit in anima; sed etiam in corpora dimanat: partim, quatenus bona opera, quæ ex gratia procedunt, per corpus administrantur; partim, quatenus animæ beatitudo in corpus redundabit. Vide D. Thomam. His adde, Christum etiam secundum corpus esse caput nostrum, & influere tum in animas, tum in corpora nostra: tum, quia Sacrificio corporis & sanguinis sui nos redemit, & vitam spiritalem promeruit; tum, quia in futura vita corpora nostra resuscitabit, eisque immortalitatem & claritatem impertiet; vt patet Ioan. 6. v. 54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die; nempe propter vnitatem corporis eius, quam habemus per sacram communionem.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sit Caput omnium hominum?

5
Diversi. modè est Caput omnium hominum.
Respondeatur esse caput omnium hominum, exceptis damnatis; sed diuerso modo. Nam perfectissimè est caput hominum beatorum: his enim perfectissimam vitam spiritalem, idque inseparabiliter infundit. Deinde viatorum, qui fidem & charitatem, id est, sensum & motum ab ipso accipiunt; quamuis non perfectissimè, nec inseparabiliter. Tertio, eorum qui dumtaxat fidem habent. Quarto, qui nihil horum; sed capaces tamen sunt, & interdum quid præuium ad hæc accipiunt. Damnaati autem nihil tale ab ipso possunt accipere; & ideo nec actu, nec potestate sunt eius membra. Excipe dñ. natos.

D V B I V M.

Quomodo Christus vt Caput, vitam spiritalem in sua membra diffundat?

6
1. vt causa meritoria.
2. vt efficiens.
Respondeo; Primò, per modum merentis; quia omnibus secundum exactam iustitiam, hanc vitam spiritalem promeruit; etiam ijs, qui ante Incarnationem extiterunt: vnde etiam illorum Caput est. De quo vide Augustinum in Psal. 36. v. 25. in illud: Iunior fui, etenim senex. Secundò, per modum causæ efficientis, & quodammodo principalis, sed respectu illorum qui post Incarnationem extiterunt: Nam suâ autoritate, quibus, quando, & quantum vult, de suis donis largitur; siue humanitas physicè concurrat ad gratiæ productionem, siue non. Et hoc vult D. Thomas art. 1. ad 1. Et colligitur aperte ad Ephes. 4. v. 7. Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ioan. 5. v. 21. Sicut Pater suscitauit mortuos & viuificauit, ita Filius quos vult viuificat. Sicut enim à diuinitate pendet totus ordo rerum naturalium; ita à Christi humanitate, pendet totus ordo donorum supernaturalium in genere humano.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus sit Caput Angelorum?

7
Christus est Caput Angelorum, quia illorum Princeps.
Respondeatur affirmatiuè. Notandum est, Christum secundum humanam naturam etiam esse Caput Angelorum; non tamen ita strictè & propriè vt hominum: quia non infundit illis vitam spiritalem. Vnde angelica multitudo non propriè dicitur corpus Christi, aut Ecclesia Christi: nec Angeli propriè sunt Christi membra, aut Christi sponsa; vt rectè docet Scotus in 4. dist. 49. q. 4. art. 2. Sed laxiore metaphora dicitur illorum Caput, quatenus passim in Scripturis caput vocatur, is qui est Princeps. vt 1. Regum 15. v. 17. vbi Samuel ait Saùli: Caput in tribus Israël factus es. 1. Corinth. 12. & ad Ephes. 5. v. 23. Vir est Caput mulieris. Christus enim secundum naturam humanam est Princeps omnium Angelorum; & hac ratione dicitur illorum caput.

ad Ephes. 1. Probatur Primò, ex Scripturis. Ad Ephes. 1. v. 20. *Suscitans eum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum & potestatem, & virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; & omnia subiecit sub pedibus eius.* Ad Coloss. 2. v. 10. *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circumcisi estis.*

Hilarius. Probatur Secundò, Ex Patribus: Hilarius in Psal. 139. sub finem: *Vt enim, ait, omnibus sanctis caput est Christus, ita omnibus iniquis caput est diabolus.*

Hieron. D. Hieronymus in cap. 1. ad Ephes. in fine dicit illa verba: *Ipsam dedit Caput super omnia membra Ecclesiae; (ita enim legit) posse intelligi de Ecclesia, non solum hominum, sed etiam Angelorum. Quamuis reuerà ibi Ecclesia propriè sumatur pro Ecclesia hominum; vt patet ex sequentibus.* D. Augustinus in Psal. 36. *Vt esset ipse caput totius Ciuitatis Hierusalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio vsque ad finem: adiunctis etiam legionibus Angelorum, vt fiat vna Ciuitas sub vno Rege.*

8 Probatur Tertiò, Ratione. Prima ratio est, Quia tota congregatio ex Angelis & hominibus constans, est vna Ciuitas: vt patet ad Hebr. 12. v. 22. *Accessistis ad Sion montem Sanctum, & Ciuitatem Dei viuentis Hierusalem caelestem, & multorum milium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum.* Idè patet Apoc. 21. Vnde Angeli dicuntur nostri conserui Apoc. 19. v. 10. & 22. v. 9: ergo oportet vt habeant vnum caput, & vnum principem: Caput, inquam, non solum extrinsecum & diuersi generis, Sicut Deus; sed etiam quantum fieri potest simile, & eiusdem generis.

Quomodo Vim Capitis in eos exercet. Secunda ratio est, Ex proprietatibus Capitis. Caput enim in homine dicitur quod est perfectius ceteris membris, vtpote continens omnes sensus, idcirco etiam in eminentiori loco constitutum est. Deinde vim illis infundit, eaque regit: atqui hæc conueniunt Christo homini, etiam quodam modo ad Angelos: Nam continet omnem perfectionem supernaturalem omnium Angelorum. Deinde influit etiam in illos: Primò, eos illuminando, vt docet Dionys. cap. 7. caelestis hierarchie. Secundò, conferendo illis quemdam honorem, dum illorum ruinas instaurat: quod indicat Apostolus ad Ephes. 1. v. 10. dum ait in Christo *instaurari omnia, quæ in caelo, & quæ in terra sunt*, iuxta interpretationem Latinorum. Vide Augustinum in Enchiridio cap. 62. & Anselmum in hunc locum. Tertiò, conferendo illis magnum incrementum gloriæ accidentalitatis siue secundariæ. Nam Christus totius gloriæ accidentalitatis illis est causa; quæ consistit, partim in contemplatione humanitatis eius, vt docet Chrysostr. hom. de Ascensione Domini tom. 3. vbi ait, Angelos ex Christi contemplatione maximam capere letitiam; partim in gaudio quod nascitur ex peccatorum conuersione, suarumque sedium instauratione, vt docet Bernardus serm. 68. in Cantica. Et Theodoret. in 1. cap. ad Ephes. Quartò; Angelos gubernando; *Omnes enim sunt administratores spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* ad Hebræos 1. v. 14. Atqui ad Christum pertinet dispensare omnia quæ ad hominum salutem pertinent: quare & præcipere Angelis, eosque ad hominum custodiam dirigere.

Dices, de ratione capitis est, vt sit homogeneum

cum ijs, quorum est caput: atqui Christus non est similis nature cum Angelis: ergo &c. Respondet: Christum habere sufficientem similitudinem cum Angelis, vt sit illorum caput: quia potissimum est caput secundum animam; & sic conuenit cum ipsis in eodem gradu nature, scilicet intellectualis. Sicut Lucifer est caput omnium malorum etiam hominum: Et homo est Rex Bestiarum. Non enim hæc agimus de strictâ Capitis ratione, sed de laxiore acceptione, vt dictum est.

DVBIUM.

Vtrum Christus sit Caput Vniuersi?

9 Respondeo: Esse caput vniuersi, & omnium creaturarum. Probatur Primò, Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in Cælo & in Terra: atqui hoc nihil est aliud, quam esse Caput & Principem omnium, qui sunt in cælo, & in terra.* Ad Philip. 2. v. 9. *Donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine I. E. S. V. omne genu flectatur; caelestium, terrestrium, & inferorum.* Psal. 8. v. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Quod de omni creatura interpretatur Apostolus ad Hebr. 2. loquens de Christo. Idem probari potest Apoc. 5. vbi solus Agnus dignus inuentus est aperire librum, & solvere septem signacula eius, id est, habere potestatem exequendi omnia, quæ ad mundi gubernationem, vsque in finem pertinent.

Probatur Secundò, Quia conditiones capitis Christo conueniunt, respectu totius creaturæ: Nam est omni creaturæ ratione donorum gratiæ excellentior; & habet quemdam influxum in omnem creaturam, licet non eundem in homines & Angelos; patet ex dictis. In damnatos, non habet amplius vllum influxum gratiæ: addicit tamen pœnis, & immittit illis terrorem, & cogit vt credant & contremiscant: denique potest illis imperare. In creaturas autem irracionales habet influxum, quia habet potestatem gubernandi, illisque vtendi prout expedit ad salutem electorum: tum, quia in fine mundi illas perficiet, prout conueniens erit statui glorioso. Indicat hoc Apostolus ad Roman. 8. v. 22. *Omnis creatura ingemisit & parturit vsque adhuc &c.* Quod autè quidam aiunt Deum influere esse naturale in omnes creaturas per Christi humanitatem; prorsus à ratione est alienum.

ARTICVLVS V.

Vtrum Gratia Christi, quæ est Caput Ecclesie, sit eadem cum habituali?

10 Respondetur esse eadem. Et probatur Ioan. 1. vers. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Notandum est, dignitatem capitis non addere Christo aliquam perfectionem realem, distinctâ à gratia vniuersi donis que habitualibus, sed tantum quid morale. Sicut esse Doctorem, supra scientiam nihil addit, nisi potestatem moralem docendi, & quandam dignitatem. Et hoc est quod hic intendit D. Thomas, & docent passim Doctores dist. 13. Probatur, quia cum Christus dicitur Caput, nihil significatur aliud, quam ipsum habere

habere potestatem influendi vitam spiritalem, vel certè regendi & illuminandi; atque hæc potestas, præter gratiam vnionis, & dona habitualia, nihil reale intrinsecum addit: sed solum ius quoddam, & moralem potestatem ex diuina ordinatione prouenientem: Sicut esse Regem, super opes & prudentiam, nihil addit nisi ius quoddam regendi, proueniens ex concessione Reipublicæ.

Petes, Vtrum hæc gratia Capitis, principalius fundetur in vnione hypostatica, An in gratia habituali? Respondeo; potissimum fundari in vnione: Nā hæc dignitas capitis, & potestas gubernandi omnia, potissimum erat debita naturæ humanæ ob vnionem cum Verbo. Secundariò tamen fundatur in gratia habituali: nam hæc in Christo fuit summa, & incomparabiliter maior quàm in alijs. Vnde etiam ratione huius, conueniebat vt illi hæc potestas & authoritas regia daretur.

Circa Responsonem ad Primum, Notandum est: Sicut peccatum Adami, se habet ad peccatum originale omnium hominum, instar cause ad effectum, ita Christi iustitia, ad iustitiã baptismalem omnium baptizatorum, tamquam cause ad effectum. Et sicut idem peccatum Adami, erat peccatum personale inficiens ipsius personam, & etiam erat peccatum capitis, habens vim inficiendi & influendi in omnes tamquã in membra, qui ex ipso gignuntur: Ita eadem Christi gratia, seu iustitia, erat personalis, sanctificans ipsius personam: & erat gratia capitis, habens vim influendi in alios. Cetera consistunt potiùs in verbis, quàm in re.

ARTICVLVS VI.

Vtrum esse Caput Ecclesia sit Christo proprium?

Respondeo; Esse Caput Ecclesiæ secundum internum influxum, per modum cuiusdam cause principalis, est proprium Christo. Nam eius solius humanitas propter coniunctionem cum diuinitate, habet vim iustificandi, tamquam causa suo modo principalis. At esse caput secundum externam gubernationem, potest etiam alijs communicari. Ratio est, quia hæc fit per quandam potestatem Iurisdictionis, quæ communicari potest.

Notandum est, summum Pontificem dici, & esse Caput vniuersalis Ecclesiæ: longè tamen inferiore modo, quàm Christum. Primò, Quia non potest toti Ecclesiæ gratiam promereri, neque ex condigno, neque ex iustitia. Secundò, Quia non potest sua autoritate, aut immediatè, internum gratiæ influxum præbere: sed tantummodo exterius gubernare, & Sacramenta tamquam Christi minister applicare. Tertio, Quia etiam hanc potestatem externæ gubernationis, & applicationis Sacramentorum, accipit à Christo, tamquam eius Vicarius; eaque potestas solum pertinet ad exequendum illa, quæ à Christo sunt instituta, & ordinandi quæ ad hoc oportuna. Quarto, Quia tantum gubernat homines viatores, idque breui tempore.

Petes, An nullo modo possit hæc dignitas Capitis perfectè communicari nudæ creaturæ? Respondeo; non posse cum ea perfectione, quæ est in Christo: tum, quia nulli potest esse ita debita, si-

cut Christo; tum, quia in nemine potest esse tam efficax ad meritum & satisfactionem, quàm est in Christo, ob coniunctionem cum persona diuina. Potuit tamen communicari imperfectiori modo, vt dicemus infra de Sacramentis.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Diabolus sit caput omnium malorum?

Respondetur; Diabolus, id est, Lucifer, est caput omnium malorum: non quidem secundum internum influxum; quia non potest in mentes eorum immediatè malitiam inferere; sed secundum externam gubernationem. Sicut quilibet Princeps est caput multitudinis, quam gubernat.

Notandum Primò, Cùm Diabolus dicitur caput omnium malorum; intelligendum de Luciferò, non autem de toto ordine diabolico, vt vult Caietanus art. sequenti sub finem. Quod patet, Quia Lucifer omnes alios, & demones & homines, vel mediatè, vel immediatè ad peccatum induxit: vt docet D. Tho. ad 2. Vnde dicitur Rex super omnes filios superbia Iob 41. v. 25. Omnis enim superbia ab ipso est deriuata, & ipse omnes in superbia excedit. Cùm autè Christus, vel Deus dicitur Princeps vel caput super omnes Demones; intelligendum est ratione perfectæ potestatis in illos, & pœnæ quam infligit. Eadem enim multitudo secundum diuersos fines, & diuersos regendi modos, potest diuersa habere capita. Sicut eiusdem populi caput, est Pontifex in spiritualibus; & Rex in temporalibus.

Notandum Secundò, Diabolum non habere perfectam potestatem in peccatores, quàm diu sunt in via: quia non potest eos amplius tentare, quàm Deus permittat. Et quamuis etiam possit tentare iustos, non est tamen caput illorum; tum, quia illa tentatio est solum hostilis oppugnatio, non gubernatio: tum, quia iusti non sunt ei subiecti; sed ipso potiùs sunt fortiores.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Antichristus sit caput omnium malorum?

Respondetur; Antichristum esse caput omnium malorum; intellige, hominum. Non quòd in omnes malitiam infundat, vel ad eam pertrahat; sed quia in ipso malitia erit perfectior, quàm in quouis aliorum, qui ab initio mundi extiterunt. Vnde omnes mali, qui ab initio fuerunt, sunt figura Antichristi; quod insinuat Apostolus 2. ad Thessal. 2. v. 7. Nam mysterium iam operatur iniquitatis. Qui locus intelligitur de Antichristo, vt docet D. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 14. Et Irenæus lib. 3. contra Hæreses cap. 7. Et satis patet ex contextu Apostoli. Inter varias expositiones huius loci, videtur hæc commodissima: Impij, vt Nero, & hæretici, qui sunt figura illius plenæ malitiæ, quæ erit in Antichristo; iam vim suam exerunt. Vel: In Nerone, & hæreticis Christi persecutoribus; Diabolus operatur

11 Gratia Capitis potissimum fundatur in vnione hypost.

13 Quomodo Pontifex sit Caput Ecclesiæ, diuersimodè à Christo.

14 Dignitas Capitis ut in Christo est, est pura creatura incomunicabilis.

15 Quo sensu Lucifer sit caput omnium malorum.

16 Quo sensu Christus sit.

17 Tentatio demonis in peccatores & in iustos est diuersa.

18 Quomodo Antichristus sit causa, per omnium malorum hominum, & ab illis præsfiguratur.

Operatur figuram illius malitiæ, quæ erit in Antichristo.

Obiectio.

Dices; Diabolus est caput Antichristi, & omnium malorum: ergo Antichristus non est caput illorum; imò nec absolutè caput.

Solutio.

Respondeo, Negando Consequentiam: Sicut enim Christus est caput Ecclesiæ, & tamen Deus est caput Christi, & totius Ecclesiæ; vt patet ex Apostolo: ita Antichristus est caput omnium impiorum hominum, & tamen Diabolus est caput Antichristi, & omnium impiorum. Nam caput

politicum, potest habere aliud caput cui subest; eademque multitudo potest subesse pluribus capitibus subordinatis.

Aduerte, quosdam putare Antichristum esse caput omnium dæmonum, excepto Lucifero. Sed non videtur hoc commodè dici: Nam dæmones, maioris sunt ingenij & potentia, & regent ipsum Antichristum, non ab eo regentur. Vnde etiam si fortasse malitia Antichristi eos dæmones excederet, non tamen commodè illorum caput diceretur.

19
Non est Ca.
put dæmo.
num Luc.
fero in se.
riorum.

Q V Æ S T I O N O N A.

De Scientia Christi in communi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus habuerit aliquam Scientiam Creatam?

Respondetur, In Christo, non solùm scientiam diuinam, sed etiam creatam fuisse. Est fide tenenda.

Affirma-
sur.

Ex Scrip-
tura.

Probatur Primò, Isaia 11, v. 2. *Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia & intellectus, spiritus consilij & scientia &c.* Quod de creatis donis Spiritus sancti intelligitur ab omnibus Patribus.

Ex Concil.

Probatur Secundò, Ex Synodo VI. act. 8. *Duas in Christo naturas predicamus, & vnanquamque proprietates naturales habere constemur; diuinam, omnia qua diuina; Humanam, omnia qua humana sunt absque peccato.* Idem definitur in Concil. Lateranensi sub Martino I. consult. 5. can. 9. Idem docent Patres omnes, & Scholastici Doctores in 3. dist. 14.

Ratione.

Probatur Tertiò Ratione. Primò, Quia Christus assumpsit animam rationalem & intellectum creatum; vt supra ostensum est: ergo etiam habuit scientiam creatam, quæ est propria perfectio illius intellectus. Secundò, fide certum est, in Christo esse voluntatem creatam & humanam: hoc enim definitur contra Monothelitas in VI. Synodo act. 6. 7. & 8. & in Concil. Lateran. sub Mart. I. can. 10. 11. 12. & 13. & docent omnes Patres: ergo fuit etiam creata cognitio; cum eadem sit ratio vtriusque. Nam regula voluntatis, est cognitio: Si ergo velle, creatum est; etiam cognoscere, creatum est. Tertiò, Quia alioqui frustra intellectum creatum assumpsisset; quia nulum eius habuisset vsum.

Dices; Scientia diuina increata potuit communicari illi animæ, vt per illam cognosceret: sicut subsistentia increata fuit illi communicata, vt per illam subsisteret: ergo nihil opus erat scientia creata, sicut opus non erat subsistentia creata.

Anima
Christi ni-
hil cognos-
cit per sci-
entiam in-
creatam.

Respondeo Primò; Etsi quidam olim ita senserint; est tamen omninò impossibile. Ratio est, Quia cognitio est actus vitalis, de cuius ratione est vt procedat vitaliter à cognoscente, ipsumque vitaliter informet; vt fit in omnibus creaturis rationalibus: vel certè, vt fit ipse cognoscens per

identitatem, sicut in Deo. Nihil enim dicitur viuere, nisi vel vita ab ipso procedat, vel ipsummet sit vita: atqui cognoscere est viuere: ergo cognitio debet procedere à cognoscente, vel debet esse ipsemet cognoscens. Quare cum cognitio increata nec possit ab anima procedere, nec ipsi identificari; omninò impossibile est, vt anima per illam formaliter cognoscat.

Respondeo Secundò, Etiam si possibile esset Christi animam increatâ Sapientia cognoscere; nihilominus non esset neganda scientia creata, quia non se impediunt, sicut subsistentia creata & increata. Possunt enim in eodem esse plures scientiæ, non tamen plures subsistentiæ. Vtrum autem hæc scientia fuerit habitualis, an tantummodò actualis, patebit ex sequentibus. Suppono tamen illam fuisse perfectissimam, ac proinde omninò certam & euidentem, adeò vt nullus vquam actus cognitionis obscuræ aut incertæ in Christo fuerit. Sicut enim omnis actus voluntatis fuit ex virtute perficiente potentia voluntatis, ita omnis actus intellectus, fuit ex virtute intellectiua; hoc enim postulabat dignitas vnionis hypostaticæ.

3
Scientia
Christi
fuit plant
certa &
euidens.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus habuerit Scientiam Beatificam?

Respondetur, Christum habuisse scientiam beatificam, quæ animam beatam reddit, idque ab initio Cõceptionis. Probat D. Thomas ex illo Ioan. 8. v. 55. *Scio eum, & sermonem eius seruo.* Sed hæc probatio non est firma; quia loquitur generaliter de cognitione practica Dei, quæ facit bene viuere: reprehendit enim Iudæos, quod Deum non sic cognoscant: *Qui enim facit peccatum, non nouit Deum.* 1. Ioan. 2.

Probatur ergo firmiùs: Primò, Ex Scripturis. Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, quasi Vnigeniti à Patre, plenum Gratia & Veritatis:* atqui non erat plenus veritate, absque visione beatifica: Nam omnis alia cognitio, est tantum cognitio ex parte; vt patet 1. ad Corinth. 13. Christus autem non cognoscebat ex parte, sed sicut cognitus erat; id est, simili claritate, & erga Deum vicissitudine. Item habe-
bat cogni-

4
Scientia
beatifica in
Christo ab
initio Con-
ceptionis.

Ex Scrip-
turis.